

*Verg
ann
do
lig
ratium*

76580

LS





J. Geldemeyer
März 1849





DE
RELIGIONE ARABUM

ANTEISLAMICA

DISSERTATIO

HISTORICO-THEOLOGICA

QUAM

PRIME IN SANCTIORIBUS STUDIIS LAUREÆ

RITE ADIPISCENDÆ CAUSA

PUBLICO VIRORUM ERUDITORUM EXAMINI

SUBJICIT

FRIDERICUS GUIL. BERGMANN

ARGENTINO-ALSATA.

ARGENTORATI,

TYPIS F. G. LEVRAULT, ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

1834.



SOLENNES EXAMEN

DIE XXIV MENSIS MARTII MDCCCXXXIV HORA POST MERIDIEM TERTIA
CELEBRANDUM

MODERABUNTUR OPPONENTES

TRIUMVIRI SUMME VENERANDI

THEODORUS FRITZ

ANDREAS JUNG

JOSEPHUS WILLM

Theol. PP. PP. OO.

COMMENTATIONIS CENSORE EXAMINISQUE PRÆSIDE

THEODORO FRITZ D.



RELIGIONE ARABUM ANTEISLAMICA.

ANTE Mohammedem non eadem omnibus sacra Arabibus; alii alia sequuti numina et religiones. Paucos ritus antiquiores aut tempus abolevit, aut hominum novandi studium mutavit; pleraque a patribus tradita religiose posterius servarunt. Nonnulla vero peregrina, tribuum migrationibus, vicinitate, inita cum advenis amicitia, patrio cultui sunt admixta; extraneæ etiam religiones in Arabiam importatæ et receptæ. Ex advenis plurimi Judæi Mosis legem profitentes, pauciores fidei christianæ addicti, quidam Magusæi, quidam novissimam amplexi Ssâbiorum doctrinam¹. De advectis religionibus disserere supervacaneum habemus, alio forsitan tempore de Judæis Christianisque ac Ssâbiis in Arabia degentibus dicturi: nunc tantum Arabibus et regione et sanguine sic dictis peculiaria recensere numina, sacra sigillatim describere, aliaque ad hæc pertinentia in animo est persequi. Ob argumenti ubertatem narrationis brevitati magnopere consulendum; multa minoris momenti prætereunda, in dubiis verisimillima seligenda, ex diversis ea potissimum proferenda, quæ nobis quam maxime probata fuerint: quod præmonemus ne quis putet nos singulas eruditorum sententias ignorantia præteriisse, aut juvenili arrogantia haud examine respuisse.

¹ Non confundendi sunt: 1.° Sabæi, sive astrorum cultores, ab hebr. *Z'ba hassehamajim*, vel arab. *Ssaba* dicti, nomen generale omnium astrolatrarum; 2.° Sabaitæ, posterius Sabà, Gen. X, 28, incolæ urbis et regionis ejusdem nominis in Jemana; 3.° Zabii seu Mendai Juchanan, i. e. Johannis discipuli, a syr. *z'bo*, baptizare, nomen sortiti; 4.° Ssâbii, astrolatrarum quoddam genus, quorum doctrina ex sapientia chaldaica et magica et hermetica conflata, primum in Syria exstitit, postea multo latius serpsit, cujus originem ad quemdam Ssâbi, Edrisi filium, referunt. A plerisque auctorum, tam veterum quam recentiorum, hæc nomina mirum quantum confunduntur, quod ansam maximis erroribus præbuit.

In religione describenda, numina quibus cultus adhibitus primum sunt respicienda et unus fuerit deus an plures anquirendum. Quod ad Arabes, eos non unum tantum coluisse deum constat, sed num jam ab initio plures adoraverint deos, inter doctos quæstio est. Alii nimis genealogia antiquissima confisi qua *Arabes genuini* Noachum et Eberum, et *Arabes adscitii* seu *advenæ* Abrahamum et Ismaelem patres nacti dicuntur, piorum virorum proximæ saltem posteritati, cognitionem unius dei vindicare haud dubitant: alii in hoc cautiores nulla dicunt monumenta fide digna exstare, quibus quid verum sit effici possit. Nos quidem hæcce rimari nullius momenti putamus, atque ut incomperta in medium relinquere satius habemus. Sin omnino quid statuendum, haud infitias ire ausimus, cultum unius dei a plebe semper derelictum apud optimos quosque nunquam plane excidisse¹, quin postea a Judæis et Christianis maxime propagatum fuisse.

Quando et quo auctore vanis diis cultus adhiberi cœptus sit, quærere absurdum; quod nec subito nec singulari viro, sed communi errore homines impellente factum est. Initio Arabes ut Persæ multæque aliæ nationes, non deos imagine fictos, sed quæ natura præbet præclarissima, astra dico, quæque mortalibus usu maxime necessaria, elementa, tanquam numina coluisse videntur. Quam longissime historiam repetere possumus, solem et lunam, planetas, sidera et stellas, venerationi in Arabia fuisse videmus; qui cultus nescio an omnium errorum sit venia dignissimus. Arabs vagus regionem eme-

¹ Nihilominus omnibus quæ Mohammedes ejusque adseclæ de *Hhûd*, *Ssâlehh*, *Scho'aib*, aliisque, quasi Dei unius prophetis et idololatriæ impugnantibus, fabulantur, fides prorsus deneganda est. Nec magis mihi persuadere possum, duas inscriptiones (Wahl, *Antholog.*, p. 34), quæ prope Aden, super marmoribus arcium dirutarum repertæ dicuntur, mohammedismo antiquiores esse; ut cætera omittam argumenta, in primo poematio de religione *Hhûd*, de miraculis, resurrectione et vita futura mentio fit: quæ quid probent nemo non videt.

tiens longe lateque patentem, arenosam, aridam, quid habet quo die et noctu oculum figat, quo animum advertat, nisi cœlum luminibus distinctum, innumerisque sideribus exornatum; ad eorum ortum, cursum, occasum terræ immensitatem describit, iis ducibus viæ utitur, iis grata omnia accepta refert. Quibus cum nihil in omni rerum natura appareat præclarius, tempora, procellas, ventos, pluvias, rores, quin etiam terræ pecudumve partum aut infœcunditatem multaque alia, eorum viribus effecta putat. Tum diuturna observatione doctus, aut errore deceptus, totum inter sidera felicia et infausta dividit cœlum, hæc deprecabundus, ne sibi noceant, veretur, illa grato pro acceptis beneficiis animo, aliaque et majora exspectans, veneratur. Hæc cultus astrorum origo, hæc causa et ratio.

Principio numina nec parietibus cohibebant, neque in simulacrorum speciem assimilabant. Natura dignissimo templo usi, ipsa in cœlo astra, humi prostrati, adoratione venerabantur. Iis sub dio sacra peragebant simplicia. Temporis vero tractu, ut fert hominis studium, arte confecta naturalibus substituendi et quæ divina habet vel sibi vel terrenis assimilandi, tum etiam quod astris quotidie occidentibus, nonnunquam deficientibus, sæpe ad tempus evanescentibus aliquid in locum sufficere vellet, cum simile quidpiam deesset primum quod maxime in promptu, tum rudius simulacrum manibus confectum in numinis locum parari cœpit. Homines imbecilli animo ultra signum nil sapientes, quod initio imago fuerat facile pro ipso habuerunt numine. Sic simulacrorum cultus ex parte ex astrolatria enatus est, et ambo adeo coaluerunt, ut ille an hæc potissimum obtinuerit difficilius extricare possis. Nihilominus in recensendis Arabum numinibus sic agemus ut astris (quamquam fortasse et simulacro cultis) seorsum tractatis idola subjuncturi simus; quorum alia an primum stellarum imagines fuerint non adeo constat, alia vero nunquam fuisse pro certo habemus.



As-Schems; *As-Schârik*. — *Al-Kamar*; *Al-Hilâl*. — *Al-Moschtarî*. — *Az-Zohara*. — *Ottârid*. — *Mirrîkh*. — *Zohhal*; *Caiwân*. — *Ad-Deberân*. — *Sohail*. — *As-Schîrâ*. — *Al-Farakadân*.

As-Schems, sol, colebatur teste Abu'l-Faradsch¹ ab Hhimjaritis et haud dubie multis aliis præterea tribubus²; antiquissimum hunc cultum in Jemana fuisse ex Sabæ cognomine *Abd-Schems*, id est *servus solis* patet. *Sabin* quem vocat PLINIUS³ idem qui *Schems*, ore Græcorum vocem sic emolliente; nec diversus est et numine et nomine *Assabinus* Æthiopum⁴. Pro *Schems* nomen etiam occurrit *As-Schârik*, quod solem orientem et splendentem sonat⁵. Solis cultum etiam tempore Theophili legati in Arabia felici viguisse, PHILOSTORGIUS docet⁶, neque est cur ante Islamismum evanuisse credamus. In templis soli dicatis procul dubio erecta erant simulacra, qua autem specie fuerint, non constat⁷; quæ figuram humanam retulisse vix crediderim, quin potius, ut apud Persas et Syros, fuisse statuarum instar aut lapidum cuneo similium qui Hebræis *Chammanim*, Arabibus vero *Schamâsât* audiebant (cf. Levit. 26, 30). *Al-Kamar*, luna, ab Hhimjaritis, Kenânitis, cæteris adorabatur.

¹ Hist. dynast., I, p. 160.

² Numen *Schoms* apud Tamimitas cultum a *Schams* non diversum videtur. Cf. POCOCC, Specimen hist. arab., ed. WHITE, p. 104.

³ Hist. nat., lib. XII, cap. 32.

⁴ Coloniam ex Arabia felici in Æthiopia consedissee his probatur argumentis: 1.º multi Æthiopum et statura et ore et habitu Arabibus similes; 2.º lingua et scriptura Hhimjaritarum et Æthiopum fere eadem; 3.º Oppida ejusdem nominis in Æthiopia et Arabia felici.

⁵ Hamasa, ed. FREITAG, p. 218. — ⁶ Hist. eccl., ed. CHOUEY, p. 25.

⁷ Imagines solis et aliorum siderum apud Ssâbios (v. NORBERG, Onom.) hic non sunt respiciendæ; nec magis illæ quæ apud Al-Kazwinium exstantes (Fodinæ orient., I, p. 6 sqq.) a Mohammedano quodam delineatæ videntur.

Plerumque solis cultus et lunæ conjunctus; tum ambo pro summis habebantur diis, et tanquam principia colebantur naturæ; sol ut major (quamquam generis fœminini) principium fœcundans, luna principium concipiens, natura pariens; quam ob rem sæpe cum Venere eadem est censenda. Nomine *Hilâl* luna clarescens et falcata indigitatur.¹

Lakhmitæ et Dschidamitæ Jovis planetam, *Al-Moschtari*, sacrum habebant. *Az-Zohara*, Veneris micans stella præsertim Ssanæ pro dea colebatur². Jupiter et Venus felicia sidera perhibebantur, et astrologi primum *fortunam majorem*, alteram *fortunam minorem* nuncupare solebant.

Ottârid, Mercurius, Asaditarum erat numen. *Mirrikkh*, Mars planeta, a quibus cultus sit nusquam apud auctores arabes proditum reperi; nomen quod sagittam aut telum designat, non antiquissimum videtur, sed astrologis tantum usitatum fuisse suspicor, et cum syr. *Nerig*, quod securim vel hastam sonat, componendum.³

Zohhal Saturnus fortasse in superioribus Arabia partibus Ægypto et Babylonæ conterminis antiquitus colebatur; idem vocatur et *Caiwân* (cf. Amos 5, 26), quæ vox aut ex ægyptiaca aut chaldaica lingua est repetenda⁴. *Mirrikkh* et *Zohhal* mala habebantur numina, et ab astrologis primus *infortunium majus*, secundus *infortunium minus* vocabatur.

¹ BOCHART, Geogr. sac., p. 125, contendit Hilâlitas a luna nomen sortitos, neque a Jerachitis, Gen. X, 26, diversos fuisse; quod non probandum: Jerachitis enim in littore lunæ (Ghobb-el-kamar) sedes, Hilâlité vero vicinam Meccæ regionem incolebant. Erant multo recentiores, nomen a patre Hilâl trahentes, qui ipse an a luna nomen acceperit in medium relinquo.

² Genius Luciferi apud Persas Anâhid dicebatur, quem Græci vel Artemin, vel Aphroditen vocant; quod Anâhid, si retrorsum legeris, Diana sonet, fortuitum. Multæ de illa circumferebantur fabulæ, quas postea Arabes de Az-Zohara narabant.

³ NORBERG, Onomast. cod. Nas., p. 105. — ⁴ Fod. or., p. 371.



Apud Hhaimitas¹ dei loco habebatur *Ad-Deberân* stella rubicundula ad oculum Tauri; malum numen fuisse videtur: apud Arabes saltem nostri temporis stella ut infausti ominis in proverbium cessit.

Magna veneratione Ttairæ prosequabantur *Sohail*, quem nos Canopum dicimus; ejus tutelæ greges et armenta committebantur.²

Sirio, *As-Schîrâ*, Kaisitæ præsertim divinos adhibebant honores; cujus cultum maxime impugnavit Mohammedes, qui Deum Allah dominum vel Caniculæ esse proclamavit (Al-Kor., 53, 49).

Al-Farakadân duæ prope polum stellæ quibus singulis Dschodhaima tertius regum Hirensium quoties potaret, scypho effuso libare solebat³. Præter hæc sidera, alia etiam multa Arabes veneratos fuisse nil est quod dubitemus; auctores arabes quos inspicere mihi licuit, de his tantum commemoraverunt.

Ad idola nunc transeamus, quorum varia species et origo. Quo modo astris simulacra substituta sint ex parte jam supra diximus: sæpe etiam viri illustres heroes in sidera conversi dicebantur, quæ ratio fuit stellarum humana specie expressarum. Alii, cultu astrorum prorsus relicto, principes suos vita defunctos grato animo vel admiratione moti numinum loco habebant, imaginibus eorum pro artis ingenio rudius exsculptis. Nonnulli quas præbuit natura arbores speciosas, ea deorum simulacra colebant. Multi, quorum cultus antiquior, venerabantur saxa quasi inesset præsens numen; lapides erant quadratæ potissimum figuræ, cetera simplices ac deformes; alii corona vel dei figura scalpro expressa ornati⁴, alii coelitus delapsi

¹ Cf. BERNSTEIN, De init. et orig. rell., etc.

² Cum cameli pullus ablactaretur, pastor caput ejus Sohailo obvertens, « num vides? inquiebat, non amplius lac gustabis. » Tum, impacta alapa, a matre dividebat. GOL., Lex., p. 2134.

³ EICHH., Mon. ant. p. 180.

⁴ Cf. hebr. Maskijoth, Num. 33, 52. Lapides religioni habiti in antiquitate haud infrequentes; nonnulla deorum simulacra apud Persas, Syros, quin et Græcos

aut erant aut ferebantur. Alios aliam ob causam simulacra variæ formæ pro diis fecisse, quisque facile ex suo ingenio iudicabit, cum singula recensuerimus numina.

Ourotal et Alilat.

Ourotal et *Alilat* seu *Alitta*¹ in regionibus Assyriæ proximis antiquitus colebantur. Arabes hæc numina ab Assyriis, quibus vicinitate et sædere erant juncti², accepisse videntur.

Ourotal heros quidam erat cujus cultus temporis tractu cum cultu solis coaluit; quam ob causam HERODOTUS eum vocat *Dionysum*³ more Græcorum, heroas orientales fere omnes hoc potissimum nomine designantium; alia est nominis causa quod Dionysus nonnunquam apud Græcos pro solis deo cultus sit⁴. *Alilat* erat luna, Assyriis *Mylitta*, id est *Maledtha* (*generatio*) dicta⁵; eadem ac Venus est censenda: quapropter HERODOTUS deam *Alilat* et *Uraniam* et *Aphroditen* vocat. *Ourotal* et *Alitta* ut summa numina et naturæ principia colebantur. Quod ad nomina attinet, ea quam diversissime explicantur; omnes vero originationes in dubio hærent neque ulla prorsus

ac Romanos, saxa fuisse oblonga seu cuneiformia neminem fugit. Quam ob rem nostro etiam tempore « the inhabitants (of ancient Babylonia) call all stones with inscriptions or figures on them Idols, Ssanam. » RICH, *Memoir on the ruins of Babyl.* *Fod. or.* III, p. 141.

¹ HEROD., I, 131; III; 8. — ² Cf. HEROD. II, 141; DIOD. SIC., ed. Bip. II, p. 7.

³ Mirum quantum hoc nomen auctores in errorem duxerit: unumquemque fere Arabum deum pro *Baccho* habent. *Dionysum* ab urbe *Nysa* nomen accepisse ferunt; alii ab urbe *Mecca* seu *Bekka* *Bacchum* fuisse nominatum; alii hoc nomen a *Bar-Cusch*, i. e. filii *Cusch*, derivant, alios ut transeam ejusdem generis errores.

⁴ KREUZER, *Symb.*, III, p. 87: pari ratione *Osiris*, qui sol erat et heros, *Dionysus* dicitur; HEROD. II, 41; DIOD. I, 11. *Ourotal* sub specie humana fuisse cultum probable est: Arabes enim ejus tonsuram se imitatos profitebantur.

⁵ Cf. MÜNTER, *Rel. d. Babyl.*, p. 17.

probanda : vero proxime abesse videtur etymologia quam Pocockius¹ excogitavit: Ourotal corruptum censet ex *Allah-Ta'âlâ*, quod *Deum excelsum* sonat.

Alilat fortasse ab *Al-Ilahat*, id est dea, vel ab *Hilâl*, luna, est repetendum.²

Hhâfidtha. — Râzika. — Sâkya. — Sâlima.

Quatuor hæc idola culta fuisse dicuntur³ apud Arabes antiquiores, præsertim 'Âditas in regionibus Al-Ahkhâf et Hhadthramaut. Nomen uniuscujusque munus indigitat. *Hhâfidtha* peregrinantes in itinere servabat; *Râzika* variis hominum commodis inservire solebat; *Sâkya* pluviam roremque spargere; *Sâlima* munus habuit ægrotis sanitatem restituendi. Hhûd propheta hæc idola dejecisse fertur.

Wodd. — Sowâ'. — Jagûth. — Jaûk. — Nasr.

Horum idolorum cultum jam Noachi tempore floruisse fabulantur Mohammedes⁴ et ejus adseclæ. *Wodd* deus habebatur Calbitis in Dumat-el-Dschendel; statua fuisse dicitur viri equo insidentis, atque ense falcato et lancea armati⁵; Khaled-ben-Waled eam confregit. JONESIUS⁶ idolum *Wodd* componendum esse innuit cum *Bodd* seu *Budd* a quo religio buddaïca; subtilius fortasse et

1. Specimen hist. arab., ed. WHITE, p. 110. Contra dicendum: 1.° Allah taala apud Mohammedanos tantum occurrere. 2.° Si Alilat ab Al-Ilahat repetendum, non intelligi posse cur HERODOTUS non potius Al-Ilahtal scripserit quam Ourotal.

2. KLEUKER etymologiam proposuit *Al-Wâlid*, i. e. parens, genetrix, quod cum *Mâledtha* optime concinit et *se non è vero è ben trovato*. Reliquæ originationes recenseri non merentur.

3. HERBELOT, *Bibl. orient.*, s. hh. vv. Nescio quibus autoribus HERBELOTIUS hæc idola reperierit memorata; equidem suspicor nomina cæteraque a Mohammedano aliquo esse efficta.

4. Al-Korân, ed. MARRACCI, p. 750. — 5. *Notices et extraits*, II, p. 129 sqq.

6. *Recherches asiat.*, II, p. 16.

audacius. — *Sowá'* Hodheilitis et Hamdhanitis, muliebris ut ferunt figuræ erat numen¹. Madhhidschitæ et nonnullæ aliæ Jemanæ tribus *Jagúthum* sub leonis, Hamdhanitæ et Moraditæ *Já úkum* sub equi forma adorabant.

Nasr, quod nomen dicit, aquila e saxo sculpta², Dhu'kiláitarum erat numen. Sidera *aquilæ sedentis* et *aquilæ volantis* nomine dicta³ cum Nasr esse componenda, non affirmaverim (cf. *Nisroch*, Jes. 37, 38).

Farrás. — *Madán.* — *Jálil.* — *Masíhh.* — *Colál.* — *Khalassa.*
— *Badschir.* — *Al-'Auf.* — *Dschihár.* — *Sa' ad.*

Idolī *Farrás* in libris arabicis qui mihi ad manum fuerunt, nulla mentio; Abr. Ecchellensis⁴ nescio quo autore a Tamîmitis refert cultum fuisse, et Assemannus⁵ nomen significare cœlestem leonem putat, quod probari nequit. *Madán*⁶ deum venerati sunt Nikháitæ, aliæque iis cognatæ in Jemana tribus. *Jálil*, *Masíhh* et *Colál* dii apud Dschorhomi posteros habiti, quod ex nominibus Abd-Jálíl, Abd-Masíhh⁷, Abd-Colál conjicere licet. Khatháamitæ idolum *Khalassa* adorabant. Nomen tantum respiciens aliquis fortasse crediderit fuisse arborem viti similem, quæ arabice *Khalassa* dicitur: tradunt⁸ vero idolum fuisse lapidem album coronatum, figuris exornatum. *Badschir* Azditarum fuisse numen tradunt⁹; de *Al-'Auf* nil præter nomen cognitum. *Dschihár* Hawázinitarum erat idolum. Saxum

¹ HARIRI, ed. de SACY, p. 313. — ² BEYER, Addit. ad SELD., De diis syris, p. 311.

³ GOL., Lex., p. 2559. — ⁴ CHRONIC. OR., Paris, 1685.

⁵ BIBLIOTH. OR., III, 2, p. 588. — ⁶ HARIRI, p. 555, ed. SACY.

⁷ Abd-Masihh (*servus Messicæ*) nomen apud christianos haud infrequens erat; idolum vero inde nomen accepisse videtur, quod id oleo inungere, aut manibus contrectare forsân ritus fuerit.

⁸ SCHEHÁBEDDIN, Not. et ext. II, l. c. — ⁹ POCOCK, Sp. hist., p. 104.

oblongum in littore Dschodda, *Sa'ad*, id est Felicitas dictum, pro deo habuerunt Malcánitæ.¹

Al' Ozza. — Menât. — Allât.

Al' Ozza, numen multis tribubus sacrum, non alia erat quam Az-Zohara² cujus in Arabia frequens cultus. *Al' Ozza summe potentem* denotat; aliud habuit nomen³ *Al-Cobra*, id est *maxima, excellentissima*. Varia adorabatur specie: Ghattfanitæ numen arbori cui-dam As-Samora dictæ præsens inesse existimabant: specie foeminæ a Koreischitis, Cana'ânitis, Solaimitis, aliis adorabatur. Statuam *Al-Ozza* auream habuit Al-No'oman, Al-Mondari filius, quam EVAGRIUS (Hist. eccl., VI, 22) Aphroditen vocat.

Menât idolum ab Ausitis et Khazredschitis⁴, in oppido Jathreb (Medina) cultum. Non alia dea *Meni* (Jes. 65, 11) quam Judæi in Babylonia exules libamine honorabant et lectisterniis⁵; *Meni* autem Veneris fuisse stellam verosimillimum est; eadem etiam ut fortunæ datrix colebatur⁶: pari modo deam *Menât* cum Az-Zohara componere licet, nam et hanc, ut supra diximus, *bonam fortunam minorem* Arabes nuncupabant, quod etiam significatione nominum *Meni* et *Menât*, quam optime comprobatur. Nil obstat quominus credamus Arabes hoc numen a Babyloniis accepisse.

Auctore Az-Zamakhschario, Hodheilitæ, Khozâ'aitæ et Thakifitæ deam forma lapidis vel simulacri ex lapide facti venerabantur.⁷ Si Schehâbeddino fides habenda, Amru ben Lohheï cultum ejus Meccam inter et Jathrebum instituit. Pulcherrimam hujus deæ sta-

¹ FREITAG, Lex. ar., II, p. 316. — ² Fod. or., III, p. 38.

³ JOH. DAMASC., De hæres., p. 466; ed. Bas.

⁴ ABULF. Hist. anteisl., ed. FLEISCHER, p. 180. — ⁵ Cf. POCOCC, p. 94.

⁶ GESENIUS, Lex. hebr., 1833, p. 591.

⁷ HOTTINGER, Hist. orient., 2.^a ed., p. 252.

tuam, Islamismo surgente, ex templo meccano extractam, in India pretio adamantum venisse, Ahmed Ar-Râzi memoriae prodidit.¹

Allât non admodum diversa fuisse videtur ab Al-'Ozza et Menât; nomen fortasse foemininum est a masculino Allah², et *deam* significat: alio dicitur nomine *Rabba*³, id est, domina, hera. Ni fallor, eadem erat atque Alitta seu Alilat, quam supra memoravimus. Nescio an prorsus aliud sit *Al-Lât* Thakifitarum idolum; quæ enim de hoc narrantur, cum Allât minime concinunt. Traditur⁴ idolum Al-Lât, omnium novissimum, principio lapis fuisse, ad quem Amru quidam considens, oleum et farinam ad cibandos⁵ pauperes et religionis ergo peregrinantes, permiscere solitus sit; Thakifitas postea ex lapide quadrato statuam Amrui fecisse, cui a vocabulo *latta*, id est, *permiscere*, Al-Lât dictæ, templum Tâjifæ ædificaverint. Mohammedes Al-Moghairam et Abu-Sofjanum statuam evertere jussit⁶. Altera idoli ædes Nachlæ⁷ exstructa erat Meccam inter et Tâjifam.

Hobal. — *Asâf.* — *Nâjila.* — *Dâr.* — *Menâf.* — *Al-Ca'aba.*

Ferunt⁸ Amru ben Lohhâ Al-Hhidschazi regem, itinere in regionem Al-Balkâ facta, inde idolum *Hobal* cum Asâfo et Nâjila Meccam secum asportasse, ejusque cultum ibi instituisse⁹. Asâf et Nâjila in

¹ *Recherches asiat.* II, p. 104.

² Pocock, p. 92. — ³ Freitag, Lex., II, p. 107. — ⁴ Schehâbeddin, l. c.

⁵ Hottinger, Hist. or., p. 232, arabicum textum non bene legisse, nec recte latine vertisse, mihi videtur. Ni fallor, legendum est *weio'ttimo 'lhaddscha*, et *cibavit sacram peregrinationem facientes*.

⁶ Abulf. Annales moslem., ed. Reiske, lat., p. 52.

⁷ Hist. dynast., I, p. 160. Cf. Bernstein, l. c.; textus ibi corruptus esse mihi videtur. — ⁸ Abulf., Hist. anteisl., p. 136.

⁹ Dicunt lapideam Hobalis statuam colosseam fuisse, in tecto templi meccani positam; quæ puræ putæ nugæ: nam neque intra templum, nequè in ejus tecto collocari potuisset, cum ædificium non adeo altum nec solidæ structuræ esset.

montibus Ssafâ et Merwa prope Meccam sitis, erant collocati: Asáf viri, Nájila sceminæ erat simulacrum. De idolis Koreischitarum Dâr¹ et Menáf² nil præter nomina mihi cognitum. *Al-Ca'aba*, cujus adoratio Meccæ antiquissima, niger erat lapis fortasse cœlitus delapsus, a forma quadrata nomen sortitus. Num initio astri cujusdam simulacrum fuerit non constat: alii solis fuisse dicunt; multa enim Bætylia ut solis simulacra colebantur³; alii lunæ, eadem fere de causa; alii Veneris, cujus caput lapidi insculptum fuisse contendunt⁴; alii denique Saturni⁵: hoc pro certo habendum, lapidem quadratum primis jam temporibus pro ipso numine fuisse habitum.

Sáir. — *Al-Aschal*. — *Audth*. — *Awwál*. — *Kais*. — *Dowár*.
— *Dhu'l-Caffain*. — *Dhu's-Schera*.

Sáir, vel ut alii legunt *So'air*⁶, apud Anazaitas simulacrum erat. *Al-Aschal*⁷ pro deo fortassis a gente Abd-al-Aschal in regione Jathrebi colebatur. *Audth*⁸ a Becro-Wajelitis adorabatur. *Awwálum*⁹ Becritæ et qui cum iis sanguine conjuncti erant Thaglabitæ, divinis honoribus prosequabantur. De *Kaiso*¹⁰ præter nomen nil mihi cognitum. *Dowár*¹¹, haud dubie a Cenditis Amrilkeisi poetæ popularibus cultus, nomen a circuitionibus circa eum solenniter institutis accepisse videtur. Dausitæ *Dhu'l-Caffain*¹² deum honorabant; idoli nomen vel *præditum binis manibus*¹³ significat, vel *dominum loci* cujusdam *Caffain*. — *Dhu's-Schera*¹⁴ princeps aut heros fuerat, cui

¹ FREIT., Lex., p. 69. — ² HARIRI, p. 554. — ³ HYDE, De relig. Pers., p. 115.
⁴ ASSEM., Bibl. or., III, 2, p. 584. — ⁵ Rech. asiat. I, p. 22.
⁶ POCOCC, p. 101. — ⁷ Hamasa, ed. FREITAG, p. 8. — ⁸ POCOCC, p. 102.
⁹ Moall. Amr. b. Kelth., ed. KOSEGARTEN, p. 37. — ¹⁰ Hamasa, p. 85.
¹¹ Moall. Amrilk., ed. HENGSTENB., p. 33, v. 61. — ¹² POCOCC, p. 104.
¹³ Stella quædam *Dhu'l-Canafain*, i. e. binis alis prædita dicitur; Marracci, p. 360. — ¹⁴ POCOCC, p. 106.

mortuo divini habebantur honores. Cultus ejus institutus erat apud Dausitas et filios Hharethi Azditas, et procul dubio apud alias quoque tribus. Græcis et Latinis non inauditum fuit hujus dei nomen, quem *Dysarem* vel *Dusarim* vocant¹. EUSEBIUS² Arabes scribit Dysarim ex mortali deum fecisse, et ISIDORUS geographus³ Dousarem nominat Dionysum, Græcorum more et Latinorum, qui, ut supra diximus, omnes fere orientales heroas vocant Bacchos. Speciem autem simulacri respiciens, aliquis crediderit aliam etiam subesse hujus nominis rationem. Refert enim SUIDAS, *Theusarem* lapidem esse quadratum, informem, pedes quatuor altum, latum duo, aureæ basi innixum. Hunc lapidem *solis* fuisse simulacrum, cujus cultus cum heroe Dusari coaluerit, et propterea Bacchi nomen, ut Ourotal et Osiris, accepisse, creditu est haud absurdum: nisi forte malueris Theusarim pro alio deo Dhu's-Scherâ vocato habere; Dosarenos enim gentem Arabiæ felicis, magnam facientem mercaturam⁴, stellam Dhu's-Scherâ emptioni et venditioni præpositam coluisse vero absimile non est⁵: hujus stellæ simulacrum, Græcis Theusaris dictum, cum Dysare Nabathæorum errore permutasse videntur.⁶

Obodas. — Koze. — Al-Okaissar. — Peor. — Cemosch. — Malcam.

Obodas rex fuerat, cui, ut refert URANIUS⁷, apud se sepulto Nabathæi divinos adhibebant honores. Ex Edomitarum diis (II Chron. 25, 14 seqq.) unus tantum memoriæ proditus est *Koze*⁸, cujus nominis significationem extricare non valeo⁹. Costobarus penes cujus

¹ TERTULL. Apolog., c. 24; cf. Ad nat., c. 8. — ² Opp. ed. H. VALES., p. 645.

³ Ap. HESYCH. s. v. Δουσαρ. — ⁴ MANNERT, Geogr., 1799, 6, 1, p. 9.

⁵ POCOCK, p. 107. — ⁶ Cf. STEPHANUS BYZ., ed. BERKEL. s. v. Δουσαρῆ.

⁷ STEPHANUS BYZ., p. 601. Cf. Euseb., p. 283. — ⁸ JOSEPHUS, ed. Genev., p. 531.

⁹ Quis vero sibi persuadebit *Koze* ab *Al-Ozza* non esse diversum? HEROD., ed. BAER, II, p. 13.



majores numinis fuerat sacerdotium, fortasse a Koze idolo nomen sortitus est. Mirum videtur quod EPIPHANIUS¹ tradit, incolas Arabiæ petrææ in regionibus Rokom et Edom *Mosen* propter patrata miracula pro deo veneratos esse, ejusque *imaginem* adoravisse. EPIPHANIUM non in omni re probatæ fidei esse auctorem, neminem fugit, cui vero cur hîc fides esset deneganda nil videmus. *Al-Okaissar* idolum fuit compluribus Syriæ vicinis tribubus religiose cultum.² *Peor* sive *Baal-Peor* et *Cemosch*, ex V. T. admodum cogniti, Ammonitarum et Moabitarum erant numina. Principio ejusdem dei, nimirum *solis*, simulacra fuisse mihi videntur, quod disertis Hieronymi verbis confirmatur: « In Nabo, inquit, erat Chamos idolum consecratum, quod *alio* nomine vocatur *Beelphegor*. » Meras vero nugas proferunt, qui dicunt³ Ammonitas et Moabitas Meccæ duo idola coluisse, unum *Cemosch* in Saturni, alterum in Martis honorem. Multum etiam hallucinati sunt Judæi et nostri in explicando nomine *Peor*, quorum sententias referre piget et pudet; nam quo quisque doctior sibi visus est, eo spurciorem vocis excogitavit originationem. Iis assentior qui *Baal-Peor dominum* montis *Peor* explicant⁴. — *Malcam*⁵ sive *Molech*, Ammonitis et Canaanitis commune numen, procul dubio Saturni erat simulacrum.

Hæc sunt idola in quæ inter legendum incidimus; nos non omnia enumerasse facile concedimus, neque omnia unquam recenseri posse confitendum est. Ceterum quæque fere lautior domus penates suos habuit et lares⁶: ejus generis idolum *Ad-Dthomâr* fuit, *Abbâso ben Merdâs* et ipsius familiæ sacrum. Omnia fere simulacra antequam publice essent culta, domestica erant idola (cf. Jud. 17, 5; 18, 31).

¹ Opp., ed. PETAV., p. 469. — ² Pocock, p. 104.

³ VINCENT. BELLOY., Speculum historiale (ed. MENTELL., an. 1473).

⁴ Cf. SIMONIS ONOMAST., p. 90. — ⁵ Jerem. 49, 1. 3; qui et Milcom, 1 Reg. 11, 5; 2 Reg. 23, 13. — ⁶ Cf. Schehâbeddîn, l. c.

Sunt qui dicant Arabes quoque *zoolatras* fuisse, et columbas, simias et alias bestias divino prosecutos esse cultu. In Syria et Babylonia sacerrimæ habebantur columbæ¹, quarum cultus fortasse etiam in Arabiam transmigravit. Eas in agro meccano interficere nefas erat²; quin etiam tradunt Mohammedem, Mecca expugnata, templum intrasse et præter alia idola etiam *columbam ligneam*³ sua manu fregisse et abjecisse: alia hujus cultus apud Arabes vestigia nusquam reperimus. Adorationem *simiarum* in Arabia exstitisse prorsus negamus, quam qui asseruerunt, nominis errore decepti partem Ægypti superiorem quæ apud Græcos *Arabia*, apud Coptos *Tarabia* dicitur, cum peninsula Arabia permutaverunt: in Ægypto autem superiori Cercopithecus adoratus fuisse nemo nescit.⁴

De Dæmonibus (*Dschinn*).

Præter deos alias quoque esse naturas hominibus superiores, Arabes veteres credebant: iis nomen erat *Dschinn*, quos dæmones dicere possumus: maligni habebantur, homines variis præstigiis fascinantes. Loca deserta inhabitare fama erat, noctu autem ex recessibus prodruentes huc illuc vagari, ululatuque et sibilationibus aures perstringere hominum; quin etiam tumultuantes in habitacula irruere ibidemque sæpenumero magnam facere stragem⁵. Propterea maxime metuebantur a peregrinantibus, qui solitudinem aut regionem ruinis obsitam noctu peragrarè quam maxime cavebant⁶. Nocturnum vero iter facere coacti, quo tutiores essent, formula quadam ipsi solitudinis dæmoni ut averrunco deo sese suaque commendabant.⁷ Multi dæmonibus ut propitiis iis uterentur sacrificare solebant⁸. Ex dæmonibus fœminis imprimis metuebatur *Ghûl*. Narrabant enim

¹ Cf. MÜNTER, *Die himmlische Göttin zu Paphos*, p. 25.

² SACY, *Chrestom. ar.*, I, p. 328, vers. 38. — ³ Pocock, p. 100.

⁴ Cf. MÜNTER, *Rel. d. Carth.*, p. 125. — ⁵ *Chrestom. ar.*, I, p. 320.

⁶ *Fod. or.*, V, p. 6, v. 33—35. — ⁷ MILL, *Dissertat.*, p. 12. — ⁸ *Ibid.*, p. 13.

et, nondum plane extincta superstitione, hodieque interdum narrant Arabes, eam solere viatorem ab itineris sociis longius semotum igne accenso in errorem ducere, tum specie mulieris apparere et blandimentis eum et illecebris in recessum abducere ubi ejus concubitu frui posset; quo peracto virum plerumque metu injecto interimere creditur¹. Nescio an eadem quam Ghûl sit dæmon *Alûk*² (cf. Proverb. 30, 15).

Aliud genus dæmonum fœminarum erant *As-Sa'âlî*; harum mas *Kottrob*³ dormientibus, præsertim fœminis incubare dicebatur. Aliud dæmonis *Kottrob* nomen *Ad-Dthaizen*⁴ fuisse videtur. Quæ de *angelis* et *satanibus* in Al-Korâno et aliis auctoribus leguntur, ad religionem Ssâbiorum pertinent, vel magna ex parte a Mohammede ex cornucopiæ rabbinico sunt desumpta.⁵

De Templis.

Jam supra diximus principio numina non fuisse parietibus inclusa; sacra omnia sub dio peragebantur. Postea multæ Arabum tribus imprimis *Scenitæ* propter vitæ cultum et operam pecoribus alendis datam, eandem sequebantur cultus rationem. Cum enim alternis ad tempus tentoria figere et subinde migrare nunquam desisterent, delubra et sacella suis extruere diis non licuit: sed effigiem astri aut simulacrum lapidemve sacrum, vel quod tandem habebant nu-

¹ HARIRI, p. 416, schol. — ² GESENIUS, *Commentar zu Jes.*, p. 919.

³ HARIRI, p. 579, schol.

⁴ ABULF., *Hist. anteisl.*, p. 180. In codice quo utebatur ASSEMANNUS, pro *Ad-Dthaizen* scriptum erat *Kottrob*; haud dubie quod utraque vox promiscua haberetur; quod si verum, causa haud obscura erit, cur is qui uxorem patris in matrimonium acceperat apud veteres Arabes ignominiose *Ad-Dthaizen* vocatus sit.

⁵ Sic, ut alia præteream, *Dschibt* (Sur. 4, 49) ne vox quidem arabica. *Ttâghât* est chald. *taât*, error, idolum; cf. SAADIA, ad Exod. 14, 2; *Tarut* et *Marut*, duo angeli apud Magusæos. HYDE, *De rel. Pers.*, p. 180.

men, secum in ædícula portatili circumferre solebant¹. In itinere sacrum hoc tuguriolum agmen antecedebat, cum castra metarentur, ei in medio posito tentoria circumfigebantur. *Alii* iique non subinde sedes mutare coacti, loco in vicinitate delecto umbra et fontibus amœno aut fertilitate insigni, tanquam in sacro lûco, idolis ibi positis cultum et ritus, patrio more peragebant. Talis locus in peninsula sinaitica haud ita longe ab oppido Tor distans ab Artemidoro memoratur²; locus erat maritimus, vulgo *Palmetum*³ seu *Phœnicon* dictus, nomine a palmis accepto, quæ ibi summa fructuum ubertate et voluptati et victui prospiciebant. Propterea Arabes loco consecrato aram⁴ diis luci exstruxerunt. *Alii* denique, quo simulacra ab injuria aëris et cœli defenderent, tabernaculum iis superstruxerunt, quod primordium fuit multorum delubrorum, quæ a forma tabernaculi quadrata nomen *Al-Câ abæ* sortita sunt: cujus tamen et figuræ et nominis alia præterea ratio habetur, quod nimirum in nonnullis

¹ Cf. Amos 5, 26; Actor. 19, 24. — ² STRABO, ed. CASAUB., p. 554.

³ Admodum probabile est hoc Palmetum ab *Elim*, Exod. 15, 27, non esse diversum; cf. ROSENMÜLLER, *Alt. u. N. Morgenl.*, II, p. 30 sqq. Sed haud dubie plura loca palmis consita in hac regione erant, adeo ut postea totus ille tractus in littore nomen *Phanicon* accepisse videatur. EHRENBURGIIUS vallem ibi invenit *Aalim*, quo in nomine fortasse antiquum *Elim* adhuc latet. GESENIUS, *Lex. hebr.* 1833, s. v. *Elim*.

⁴ Hæc ara vetustissima e duro erat saxo et *incognitis litterarum notis* inscripta; DIOD. SIC., III, 41; quo loco, occasione data, pauca dicere liceat de inscriptionibus in peninsula sinaitica repertis et a POCOCCIO, NIEBUHRIO, BURCKHARDO, SEETZENIO ex parte descriptis. Viri docti æstimant has inscriptiones, hodie nondum explicatas, a christianis ægyptiis ad monasterium montis Sinai, religionis ergo, peregrinantibus, saxi esse incisas: cui opinioni non temere est assentiendum. Monasterium enim sinaiticum a Justiniano demum est exstructum; BURCKHARDT, *Reisen in Syrien*, etc., p. 873. Tum Cosmas Indicopleustes, qui anno 522 itinera sua instituit, inscriptiones jam vidit, quas, si fuissent a christianis ægyptiis incisæ, legere potuisset (nam ipse erat christianus ægyptius) nec recentes litteras pro vetustissimis habuisset. Igitur persuasum habeo has inscriptiones christianismo longe esse antiquiores, et ab Arabibus qui in luco Palmeti convenire solebant esse confectas.



eorum lapides quadranguli essent religioni ¹. Templum meccanum jam antiquitus *Al-Cáaba* fuisse dictum neminem fugit, sed multos latet, alias etiam exstitisse ædes ejusdem nominis ad eandem formam exstructas. Fanum deæ *Al-^sOzza*, delubro meccano simile fuisse dicitur²; templum apud Rabiá itas consecratum *Al-Cáabát* vocabatur³, et procul dubio ejusdem erat structuræ. Nil est quod dubitemus ædem idoli Khalassa, quæ *Al-Cáaba jemanensis* dicebatur in tetragonum fuisse conditam. De aliis templis quamquam fuerint forma memoriæ non est proditum. Ceterum non omnibus eadem fuit: multa celsioris et solidioris erant structuræ. In monte Kleia, qui in sinu maris medius exsurgit, tria mirandæ celsitatis⁴ erant fana deorum quos accolæ summa prosequabantur veneratione. Templum apud Madh-hidschitas *Rabba*⁵ dictum fortassis ab amplitudine nomen traxit. In urbibus majoribus splendidissima delubrorum erant ædificia, nec singulis unum tantum sed plurima erant fana. Sabotha Hhadthramautitarum urbs, teste PLINIO, sexaginta, Thomna Catabanorum seu Gebanitarum LXV continuit templa. Multæ tamen tribus ne unum quidem singulæ habebant idoleum; verum complures vicinitate aut sanguine aut fœdere junctæ, ut idem colebant simulacrum ita et commune fanum adibant. Nonnullæ, etsi singulæ peculiaria habebant numina, eadem tamen in uno eodemque templo collocata, quasi in communi sacrario, adorabant. Simulacrorum numerus temporis processu augebatur vel novis idolis in deorum honorem assumptis, vel aliis tribubus in fœdus adscitis: plerumque etiam victores cum templis potiti essent, simulacris devictorum retentis, sua insuper introducebant numina: quo major delubris accessit honos; nam quo plura in iis erant idola, eo sanctiora habebantur; fama que longe lateque percrebescente, vel remotissimæ tribus imaginem sui Dei ibidem reposuisse honori ducebant.

¹ Cf. Tabernaculum conventus Israelitarum et arcam fœderis.

² Schehábeddîn, l. c. — ³ ПОСЛОК, p. 121.

⁴ DIOD. SIC., III, 45; cf. MANNERT, *Geogr.*, p. 52. — ⁵ FREITAG, *Lex.*, II, p. 107.

Multa hujus generis idolea pluribus dicata numinibus, in Arabia exstabant. In quorum numero fanum fuisse videtur apud Banizomenes sacratum, quod in summa habebatur religione¹. Ad ea etiam referenda est *Al-Cáaba jemanensis* quam Ssafioddinus *domum idolorum* vocat²; nimirum quod plura in ea collocata essent simulacra. Præ ceteris eminebat *Al-Cáaba meccana*, quæ initio unum tantum habuit idolum, lapidem quadratum, Mohammedis autem tempore trecenta et sexaginta vel intra vel extra ædem, vel in ejus tecto posita³. Tantus inde honor templo paratus est, ut invidiam multis tribubus moverit, quæ famam delubri omnimodo minuere studebant: quin etiam ipsi Meccani superbia elati, fana finitimorum *Al-Cáabæ* æmula interdum destruxisse feruntur. Sic Nakissitæ, ex posteris Ghattfâni, ædem sacram sibi ædificaverant, *Al-Cáabæ* similem: quod cum vidisset Zohair, bello Ghattfanitis illato, delubrum delevit⁴. Eodem fere tempore Abraha, rex Jemanensium, fanum condidit eo consilio, ut qui sacram susciperent pègrinationem eos ab *Al-Cáaba* ad suum templum adeundum alliceret. Cum vero aliter atque expectaverat accidisset ad ædem Meccanam funditus everteendam cum exercitu venit; quæ ab imminente strage cœlitus ut ferunt, servata est⁵. Hoc modo templum meccanum quasi principatum obtinuit, ejusque fama ad ultimos Arabiæ fines percrebuit. Quæ de origine delubri et antiquitate Mohammedani fabulantur, credant ipsi; si deficientibus historiæ monumentis verum conjectura assequi licet, creditu non absurdum videtur originem templi et urbis

¹ DIOD. SIC., III, 43. — ² ПОСОК, p. 106.

³ Al-Bokhâri, in libro *Al-dschâmi as-ssahihh* Sunnæ recensionem celeberrimam exhibente. Ad manus mihi est codex m. s., quem doct. amicus, ED. REUSS, quæ est humanitate, mecum communicavit: in charta lævigata, caractere africano satis nitido est exaratus, verum tam exili, ut nisi exercitatus oculus facile verba legere non possit. Codex a militibus nostris Juliæ Cæsareæ (*Alger*) repertus est, qui ex eo nonnullas plagulas ad vilem usum excerpterunt.

⁴ ABULF., Hist. anteisl., p. 136; cf. ПОСОК, p. 93. — ⁵ ABULF., l. c., p. 200.



Meccæ fuisse eandem¹. Tribus Ismaelitarum aut Dschorhomitarum fortasse in hac regione prope puteum *Zemzem* considerat, ibique lapide quem colebant posito, tabernaculum superstruxerat, quod postea quoties opus esset et spatiosius et sumptuosius restaurabatur. Quam urbs Mecca eandem et delubrum subivit variam fortunam; quæ vero Arabiam in maxima traxerunt discrimina, tribuum Jemanensium migrationes, templo etiam meccano multarum causa fuerunt mutationum. Cahlanitæ post multas cum Hhimjaritis contentiones et aliæ Jemanæ tribus ruptura aggeris Marebensis sedes relinquere coacti² fere omnes per varia fata tandem Meccam devenerunt.³ Quorum nonnulli cum urbe potiti essent, sua in ædem introduxerunt idola et cultum, et ritus suo more instituerunt. Amru ben Lohheji ejusque successores peregrina numina Meccam advexerunt⁴ et delubri famam longius extenderunt. Hæc fere sunt quæ de templis cognitu et fide dignissima proferenda habuimus; alia minoris momenti hîc ne longiores simus silentio præterimus.

De Sacerdotibus.

Arabibus Scenitis nulli erant sacerdotes; tribus *senior* seu *Phylarcha* sacrificia publica facere et aliis sacerdotum muneribus fungi solebat⁵; namque mos erat Arabibus summo loco natos et ætate venerabiles sacris præficere. In Palmeto supra memorato vir et mu-

¹ Cf. HARTMANN, *Aufklär. üb. Asien*, II, p. 286.

² Cf. REISKE, *De Arab. epoch. vetustissima*, etc.

³ EICHORN, *Monum. antiquiss.*, p. 154 sqq. Ex hoc inde tempore nomina *Jeman* et *Scham* in usum venisse puto; Cahlanitæ enim a *dextra* Meccam venerunt, et multi alias quærentes sedes *sinistrorsum* a Mecca *Syriam* petierunt.

⁴ Hanc ob causam Amru idololatriæ fuisse auctorem a Mohammedanis vulgo insimulatur, qui dicunt religionem Abrahami usque ad ejus principatum Meccæ viguisse (RASMUSSEN, *Histor. præcip. Arab. regnor.*, p. 125). Cur vero Mohammedes tam multa de religione Abrahami fabulatus sit, neminem lætet.

⁵ Cf. MÜNTER, *Relig. d. Carthag.*, p. 143.

lier ratione generis constituti, continenti per omnem vitam sacerdotio fungebantur¹. In civitatibus quæ splendidiore deorum cultu ac frequentia adorantium florebant, optimæ cujusque familiæ viri templorum erant antistites, et singuli singula habebant munia exsequenda. Sic illustris Costobarorum domus sacra custodiebat idoli *Koze*. Sic qui Meccæ imperium (*Ar-Rijása*) tenebant, iidem etiam templo erant præfecti: alii alia curabant sacra, et quo magis dignitate pollebant aut genere clari erant, eo ampliora obibant munera, quibus fusius describendis lectorem morari suspersedemus². In partibus Arabiæ superioribus, sacrorum cura et templi custodia penes *sacerdotes* ad id ipsum institutos, fuisse videntur.³

In Arabia felici, ubi pro regionis opibus dii quoque ditioribus sacris gaudebant, magis etiam quam alias, peculiaribus sacerdotibus opus erat qui religiones procurarent, quorum ordo inter cæteros, in quos illius tractus civitates distributas fuisse constat⁴, procul dubio primum locum obtinebat. Separatim habitasse videntur. In insula Serapide tres erant vici quos soli sacerdotes incolebant, qui fortasse sacra templi Dianæ (*Az-Zohara*) munera, in littore Sachalitico, alternis peragebant vicibus. Mercaturæ atque aliis negotiis lucri gratia susceptis operam dabant. Quin etiam cum rege et principibus causam sociasse videntur hoc pacto, ut auxilio dato et accepto divitias malis artibus partas inter se dividerent. Namque agricolæ non proprium possidebant fundum, sed regis et sacerdotum erant quasi mercede conducti. Omne enim thus, in regione thurifera collectum, edicto regis Sabota camelis vehebatur⁵, una porta ad id patente; hac digredi via leges capitale fecerunt. Ibi tum *decimas*⁶ deo Sabi ad mensuram,

¹ STRABO, p. 534; cf. DIOD. SIC., 3, 41. — ² Cf. *Notices et extr.*, 4, p. 551; RASMUSSEN, l. c., p. 136; ABULF., l. c., p. 186, etc. — ³ Jerem. 48, 7.

⁴ STRABO, p. 538; cf. MANNERT, l. c., p. 15 sqq.

⁵ PLIN., *Hist. nat.*, 12, 32. — ⁶ Cf. ROSENM., *Alt. u. N. Morgenl.*, ad Levit. 27, 30.

non ad pondus, *sacerdotes* exigebant¹, scribisque etiam regiis certæ portiones dabantur. Tum demum quod reliquum erat mercari licebat et exportare. Pro tanta tamque dura vexatione hoc unum habebat commodum mercator, ut in diversoriis juxta viam exstructis, a sacerdotibus, deo Sabi quasi hospitium præbente, exciperetur. Ne quis autem clandestinam et furtivam faceret mercaturam, sacerdotes populo persuaserunt, neminem posse felici aut itineri aut navigationi se mandare qui, inscio rege, thus exportare tentaret². Collegia sacerdotum haud dubie fundos circa templa sitos possidebant; et omnia quæ in iis demetebantur, sub eorum auspiciis et tutela exteris gentibus commercio tradebantur. PLINIUS myrrhæ speciem *Dianitim* nominat, quæ circa templum Dianæ (Az-Zohara), in Sachalitarum littore, prope regionem thuriferam colligebatur. Sic et myrrha *Dusaritis* in prædiis demetebatur templo Dhu's-Scheræ contiguis. Ceterum apud omnes fere Arabes mos obtinebat, aliquam rerum partem in usum deorum et *sacerdotum* impendendi. Si fides Dschelâ-loddino est habenda, Meccani destinabant ex segetibus et pecoribus suis, unam partem Deo, aliam hospitibus, aliam idolis quam *custodibus templi* tradebant.³

De Sacrificiis et Donariis.

Sacrificia, vel publica vel privata, eodem fere ritu facere solebant. Si quis gratiam inire dei, aut iram placare, aut votum solvere vellet,

¹ Simile quid in Æthiopia fiebat, quod magno est argumento, deum Assabinum a Sabi non esse diversum, ejusque cultum ex Arabia felici fuisse advectum. Cinnamomum, sic narrant auctores, metitur non nisi permiserit deus Assabinus; 44 boum caprarumque et arietum extis impetratur venia cædendi; quæ cum litaverunt, observatur ut messis nec ortum solis anticipet, nec egrediatur occasum. Sacerdos hasta in hoc sacrata sarmenta dividit, *Deoque partem ponit*, etc. PLINIUS, 12, 42; THEOPHRAST., Hist. Plant., 9, 5; SOLINUS, Polyhist., c. 31.

² MANNERT, l. c., p. 103. — ³ Al-Kor., ed. MARRACCI, p. 263.

hœdulum, vel ovem, vel aliam pecudem, pro facultate immolabat.¹ Lapidēs (*Nossb*², *Baghbûr*) erant sacrati, quibus, nomine idoli invocato, hostias superimpositas jugulabant, quarum sanguine oblinere solebant simulacra, opibus suis hinc incrementum accessurum æstimantes³. Plerumque epulæ sequebantur sacrificales⁴. Pro sacrificiis thurificationes et libationes obferebantur ab his potissimum qui astra adorabant. Cujus rei exemplum exhibet mos Jemanensium, qui solem, quotidie libatione facta et thure accenso, in ara, in domus tecto exstructa, colebant.⁵

Arabes, ut omnes antiquitatis gentes, suis diis nonnunquam humanis litasse hostiis non prorsus denegaverim, immanem vero hanc consuetudinem apud eos omni tempore obtinuisse probari nequit. Quæ enim narrantur sacrificia humana vel ad Ssabiōrum pertinent religionem⁶ vel ad tempora æram saltem nostram antecedentia. Ammonitas liberos suos idolo Moloch tradidisse cremandos non est quod credere dubites; quanquam non omnibus Rabbīnorum commentis fides est habenda. Quod EUSEBIUS⁷ refert Dumatenos (fortasse et eos religioni Ssabiōrum addictos) quotannis puerum immolasse et sub ara sepeliisse, hæc consuetudo eo tempore jamdudum interierat, neque ipsi alia exempla nota erant. Quod autem EVAGRIUS (*Hist. eccl.*, 6, 22) Al-No'omânū narrat sua manu sacrificia idolis fecisse humana, hoc non plane cum veritate concinere auctores arabes docent. Ferunt enim regem Al-No'omân, cum ebrius duos amicos vivos sepeliri jussisset, facinoris pœnitentia pulsum, in eorum tumulo duos erexisse obeliscos parvos et *diem tristitiæ* annum constituisse, quo

¹ Temporibus maxime feriatis hecatombæ camelorum saginatorum et armentorum mactandæ Meccam ducebantur. Victimæ nonnunquam ornabant ramusculis tanquam sertis, ut quilibet agnosceret rem esse diis sacratam. Meccam deducta ovis sic ornata vocabatur *al-hadi*. MARRACCI, *Al-Kor.*, p. 164.

² HARIRI, p. 345, Schol. — ³ ПОСЛОК, p. 102. — ⁴ Al-Bokhâri *Sunna*. — ⁵ STRABO, p. 539; cf. *Jer.* 19, 13; 32, 29; *Zeph.* 1, 5. — ⁶ NORBERG, *Onomast. Cod. Nas.* — ⁷ De laud. *Const.*, p. 646.

quisquis ad ipsum accederet, in tumultu manibus amicorum velut piaculum immolari deberet¹. In quo nihil videmus sacrificii diis rite facti, sed omnia ferocitati et superstitioni regis immani sunt tribuenda.

Barbarus apud Arabes erat mos filias vivas statim natas sepeliendi aut interficiendi²; verum hoc non religionis causa tanquam sacrificium ut quidam existimant fiebat, sed longe alio respectu. Ut enim masculi omnibus votis expetiti erant, sic foemellas ignominiae sibi ducebant; et cum patribus in liberos vitae necisque esset potestas, multi variis ducti rationibus³ filias sibi natas aut occidi aut vivas sepeliri juebant.⁴

Jam quemadmodum aliae gentes variis donis voto sacratis numinum gratiam sibi conciliare studebant, easdem superstitiones et apud Arabes deprehendimus. Quorum principes templa et simulacra exornare et res ibi reponere pretiosissimas, ceteri pro suis quisque facultatibus afferre donaria solebant⁵. Meccanam imprimis Al-Ca'abam tegumentis Jemanensibus striatis vestiendam curabat regum pietas.⁶

Peculiaris Arabibus mos erat, certas de grege sua bestias quasi diis dicatas a communi ceterarum sorte eximendi libereque pastum dimittendi⁷. Quod facere solebant vel ex voto si camelus e longinquo itinere aut e belli periculis aliove discrimine salvus praeter spem redierit, vel ob beneficium ex mira bestiae foecunditate acceptum, aliasque hujuscemodi causas.⁸

¹ Fod. or. 3, p. 38. — ² Pocock, p. 322.

³ MARRACCI, Al-Kor., p. 784.

⁴ Mohammedes immanem hunc morem acriter impugnavit. Inter sacramenti capita foeminis islamismum professuris praestandi hoc erat: « nolle suos occidere «liberos.» Annales Mosl., p. 17.

⁵ MILL, Dissert., p. 19; cf. Pocock, p. 335.

⁶ RASMUSSEN, l. c., p. 126.

⁷ Cf. Pocock, p. 319. — ⁸ Cf. FREITAG, Lex., s. v. Bahhira, Hhâmi, Sâjiba; GOL., Lex., s. v. Wassila.

De Precatione. — De Imprecatione. — De Amuletis.

Preces quotidianas longiores Arabes facere antiquitus non solebant; sed pro occasione opem numinis invocare, quod sibi gratum variis sollicitare blandimentis, quod malum deus ut averruncaret deprecari. Tædium igitur satis grande iis genuerunt frequentiores istæ preces a Mohammede præscriptæ. Quocirca et Thakifitæ per legatos ut precum sibi venia daretur rogavere, abnuente Mohammede, qui nihil valere religionem quæ precandi officium sancire negligeret ratum habebat¹. Magnam tamen preces inesse vim credebant, summopere præcauentes ne quid mali ominis aut quod diis ingratum esset, inter orandum funderent². Itaque et benedictiones in bonis procurandis multum valere et maledictionibus certissimas inimicis calamitates parari posse persuasum habebant: cujus superstitionis exemplum habemus quod de Bileamo memoriæ proditum est, quem ab Ammonitis et Moabitibus ut Israelitarum genti diras imprecaretur accessitum legimus. Dirarum vero vim contraria alterius imprecatione frangi atque ita execrando posse removeri mala æque ac gigni superstitione arbitrabantur. Jam et genus hominum in Arabia fuisse videtur, quod ad dies nefastos et luctuosos conceptis verborum formulis detestandos, conduci solebat³. Neque minorem vim incantationibus tribuebant et fascinationibus, præsertim *per oculum malignum*⁴, siquidem omnibus in quæ invidus suos oculos defixerit aliquam noxam inferri credebant. Omnem igitur invidiam vel in nudis verbis positam vitare studebant: sic Sa'adum narrant, beatissimum mortali-um, quem trecenti filii et nepotes prodeuntem comitati dicuntur,

¹ Annal. moslem., p. 52.

² Hinc, ni fallor, est explicandum quod Arabes in benedictionum formulis non pariter ac nos conjunctivo aut imperativo, sed præterito utantur, quasi jam fecisset Deus quod rogaretur, timerentque ne locutio imperii speciem præ se ferret. Cf. Pocock, p. 57. — ³ SCHULTENS, Comment. in Job. p. 58.

⁴ Cf. ROSENMÜLL., *Alt. u. N. Morgenl.*, 4, p. 143.



hos, ut oculi maligni fascinum averteret non filios sed cognatos suos appellasse¹. Ceterum ad mala omnis generis amolienda utebantur *Amuletis*, quæ vox fortasse ab arabica *Hhamâlet*, quæ *rem appendulam* significat, est derivanda²; etenim ex collo vel ex auribus vel cingulo suspensa, simul ornamento et viris et fœminis inserviebant, Amuletis etiam virtus inesse dicebatur, grata et optata ferentibus parandi, atque eos in difficilioribus adjuvandi. Non omnibus una eademque figura; antiquissima amuleta sigilla vel imagunculæ deorum fuisse videntur. Midianitæ lunulas argenteas ex collo suspensas habebant³; alii parvos soles (*Schomeisât*) aureos aut cristallinos gestabant.⁴

Præterea vero non absimile est Arabes etiam lapillos cubicos, filo perducto, ex collo pendentes gestasse, quibus lapidum illorum quos religioso cultu prosequiebantur, speciem referrent; quemadmodum Persæ quoque parva deorum simulacra nimirum lapides cuneiformes et semisphærulas pro phylacteriis habebant⁵. Porro lapidem selenitem sive Aphroselenium, in Arabia abunde repertum, quem dicunt crescente luna prægnantem fieri⁶, procul dubio fœcunditatis augendæ causa e cingulo suspendebant mulieres. Gemmæ splendentes, lapidesque pretiosi in eundem usum hac potissimum de causa eligebantur, quod oculi invidi malignitas, scilicet nitore lapidis captati, hoc modo deleri existimaretur. Sphærulis præterea, conchulisve (*Karâri*) et id genus aliis, adversus fascinationes, vel ceu philtro fœminæ utebantur. Varias res ad noxam amoliendam (*Tamîmât*) infantibus pro bullis et præbiis appendere solebant⁷; quin etiam cameli et alia pecora loro affixa gestabant ornamenta, quibus casuum damna averterentur.⁸

1 POCOCK, p. 44. — 2 FOD. OR. 4, p. 156. Apud Ssábios signum averruncum *Tilsam* vocabatur, a græco *Telesma*; nos pro *Tilsam talisman* dicimus.

3 JUD. 8, 26. — 4 GESEN., *Comment. z. Jes.*, p. 209. — 5 FOD. OR., 4, p. 156.

6 PED. DIOSCOR., 5, 159. — 7 AMRILK., *Moall.*, p. 9, v. 14. — 8 JUD. 8, 21.

De sacris peregrinationibus et conventibus.

Ut nonnullæ aliæ gentes, sic et Arabes solennes agere conventus et sacras suscipere peregrinationes solebant. Initio hæc instituta fuisse videntur eo consilio, ut quos habebant communes deos in eodem templo positos simul adirent, ibidemque communia peragerent sacra. Postea, ut quisque religione luci aut templi sanctitate erat tactus, ad sacrificia facienda, istuc peregre abibat, sociis qui eundem locum invisere vellent assumptis. Maximus igitur ad celeberrima templa fiebat concursus. Sed temporis processu, non omnes solius religionis causa peregrinationem instituebant, multi ad conventum proficiscebantur, ut in tanta hominum frequentia varia conficerent negotia; plurimi mercatores, primum in templo pro feliciterum successu precati¹, statim dividendis mercibus operam dabant; quorum in gratiam nundinæ in sacris conventibus agebantur, ne quæstus faciendi lætissima prætermitteretur occasio. Sic igitur, quæ est mortalium optima quæque in pejus corrumpentium indoles, pietatis instituta paulatim in suum commodum convertit avaritia.²

Inter loca talibus conventibus celebrata nominari debet templum *Sâida* dictum³. Al-Câaba Jemanensis fortasse a tribubus Ttai et Khatha'am⁴ aliisque frequentabatur, qui Meccam adire nolebant. In luco *Palmeti* jam supra memorato, undique finitimi conveniebant, ut diis luci præsidibus saginatorum hecatombas camelorum immolarent⁵, et pacem inter sese et sædera sancirent⁶. Qui principio quinquennalis fuerat conventus, is postmodum singulis annis bis celebratus est, nempe prima vice quando sol tauri signum ingressus erat per integrum mensis spatium, altera a solstitio æstivo, per duos

¹ Al-Kor., sur. 5, 13. — ² Neminem fugit nundinas nostras ex institutis religiosis esse enatas. — ³ FREITAG, Lex., p. 316.

⁴ As-Scharistanus est auctor hasce tribus nullam instituisse peregrinationem; quod vero tantum de peregrinatione ad ædem meccanam intelligendum videtur.

⁵ DIOD. SIC., 3, 42. — ⁶ PHOEN. Biblioth., ed. HÆSCH., p. 2.

menses. Ibi sacris omnibus peractis, de aqua in luco scaturiente, aliquid in patriam referebant, cujus potu sanitatem conciliari traditum erat; idem fere mos Meccæ obtinuit, ubi peregrinantes mirabilem putei *Zemzem* hauriebant aquam, cui variæ tribuebantur virtutes.¹

Atque hic commodissimam nacti occasionem, ritus quos peregrini Meccam religiose adeuntes observabant, paucis describemus, quorum nonnulli sane et alias et postea usu veniebant. Peregrinationes sacras ad ædem meccanam ultimo cujusque anni mense (*Dhu'l-Hhiddscha*) instituebant, peculiari quadam veste, *Ihhrâm* seu *Hharîm* dicta, induti. Quo cum pervenissent primum *Al - Câ abam* septies solemnem pompa nudi *circumibant*. Abjectis vestibus eos id fecisse, uno ore tradunt Mohammedani, quorum fidem apud ipsos esse velim. Templâ ambire et simulacra, apud omnes Arabes religiosum erat: idolo *Dowâr* virgines, longis indutæ vestibus, hoc præstare solebant². Cur vero Meccani vestibus depositis circumiverint, satis difficile est explicatu: quæ enim a Moslemis in eum finem afferuntur, tam absurda sunt, ut vel referre pigeat. Præterea *lapidem quadratum osculabantur*³, quod mirum non videbitur respicienti eundem morem simulacra osculandi apud alias quoque gentes extitisse. Tum *loca sacra* in vicinitate sita *visitabant*, singulas obeuntes stationes. Honos idem et jus (*Al-Ifâ dtha*) cuidam erat tribui alias obeundo præcedere, et turbam ex monte *'Arafât* descendentem in *Mozdalefam*, et inde in vallem *Mina* et alia loca deducere⁴. *Lapillos* in valle *Mina* *conjicere* in usu erat, cujus consuetudinis origo et causa ipsos qui ritum imitati sunt, fugerunt Mohammedanos. In

¹ Nil opus est dicere, in unoquoque fere loco sacro quem plebs christianæ religionis ergo adire solet, fontem reperiri qui aquam mirabilia efficientem præbere dicitur.

² AMRILK., Moall., p. 33, v. 61. — ³ ZOHEIR, Moall., ed. ROSENMÜLL., p. 18.

⁴ Cf. EICHORN, Mon. antiq., p. 52.

honorem *Mercurii*¹ hoc factum esse vix crediderim; quid enim in Arabia sibi velit Mercurius nescio. Alii hunc honorem *Veneri* institutum fuisse dicunt², « quod lapilli retro projecti essent, id est, « sub genitalibus quibus maxime dominetur *Venus* : » quod verum esse dubito, in hac autem re aliquid affirmare vix ausim. Denique, ut nec hoc prætermittam, inter As-Ssafâ et Al-Merwa *discurrere* solebant; quod cur fecerint pariter me latere confitebor. Hæ fere solennes veterum Arabum in sacris peragendis fuerunt cæremonia, quas omnes a Mohammede confirmatas et nonnihil mutatas Moslemi etiamnum observant, quamvis quid sibi velint ne conjectura quidem assequi posse sapientes eorum fateantur.

Sacris omnibus peractis, plurimi peregrinorum ad nundinas *Al-Mausim* discedebant, ut sua negotia conficerent: quibus ad finem perductis, cum catervis mercatoriis in suas redibant sedes. In hoc itinere, etsi multas sæpe sarcinas et merces secum in camelis vehabant, nil tamen habebant quod metuerent ex latronum aut hostium vexationibus. Nam ut peregrini et mercatores ab omni injuria incolumes essent, religione quatuor anni menses erant sacrati, quibus nefas erat alios hostili animo et manu invadere. Hæc *Treuga Dei* quam dicere possumus, mensibus anni cujusque primo, septimo, undecimo et duodecimo observabatur³. Tunc temporis hastis eximentes spicula bello abstinebant Arabes; quisque securus degebat, adeo ut si quis in patris aut fratris percussorem incidisset, haud quidquam inferre mali licuisset⁴. Et ne vel simulacrum belli facerent, mensibus sacris vetitum erat venari, præsertim in septis Meccanis⁵. His

¹ Cf. VOSS, De idolol., p. 176; BUXTORF, Lex. rabb., p. 1262; POCCOCK, p. 306.

² VINC. BELLOV., l. c., 24, 60.

³ Septimum mensem *Redscheb* præsertim *Modharitæ* sacrum habebant. Ex Kaisitis et Ghatfânitis familiæ nonnullæ octo menses, ni fallor, observare solebant; cf. FREITAG, Lex., s. v. *Basl*. Alii nullos sacrabant menses, ut tribus *Ttai* et *Khathâ'am* et quidam ex posteris *Al-Hhârethi Ebn Ca'ab*.

⁴ WAHL, Antholog., p. 46. — ⁵ Al-Kor., 5, 2.

tamen religionis sanctionibus neque omnes nec semper obtemperabant; sæpe enim menses sacros bellum gerendo et prædam agendo violabant¹. Hæc bella *scelestorum* (*Al-Fedschâr*) dicta sunt, quorum plura in historia Arabum memorantur². Quin etiam hoc tempus nonnunquam eligebant, quo securiores hostes adorirentur, et incautos peregrinos facilius opprimerent. Cujus rei, ex multis, unum idemque atrocissimum exemplum addere liceat, Maranitarum cladem, quos a quinquennialibus in Palmeto celebratis redeuntes, per insidias trucidavere Garindæi, inermi plebe quæ domi remanserat, prius occisa.

Jam complures tribus rapinis victum sibi parere solitæ, cum tres menses continuos latrociniis abstinere haud facile possent, pro mense Moharram sequentem *Ssafar* sacrabant; quo factum est ut duo tantum menses sacri sese exciperent³. His artibus religionis beneficia quum sævitia hominum tum rerum necessitate multifariam immiuta sunt.

Ad alios ritus nunc transeamus describendos, qui vel religionis causa instituti, vel saltem cum ea conjuncti fuisse videntur.

De Jurejurando.

Jurisjurandi solemnitas gravioribus in rebus intercedebat; in asseveratione variis usi formulis, alii per *deum* sive *idolum*⁴; alii per *templum*, præsertim *ædem meccanam*⁵; alii per *sanguinem victimarum*⁶; alii per *patrem* aut *majores*; alii per alia jurabant. Quo majore cum religione jusjurandum exigèretur, modo alia solemnia instituebant, modo sale igni injecto, juranti ex crepitatione terrorem injicere studebant.⁷

¹ Moall. Hareth., ed. VULLERS, p. 28, v. 36. — ² RASMUSSEN, l. c., p. 126.

³ EICHORN, Monum. antiq., p. 52. — ⁴ Cf. Josua 23, 7; Fod. or., 5, p. 7, v. 55; SACY, Chrest. ar., 1, p. 327, v. 37. — ⁵ Carm. Zohair., p. 13, v. 16.

⁶ Pocock, p. 102.

⁷ GOLIUS, Lex., p. 2592. — Fortasse hic ritus interitum perjuri præsignificare debebat; sal enim et ignis vastationis et internecionis sunt symbola.

Ritus quibus foedera icere consueverint, HERODOTUS¹ his verbis commemorat: « Vir alius in medio stans paciscentium acuto lapide
« interiorem manum utriusque illorum prope pollicem incidit²:
« tum sumpto ex utriusque veste flocco, inungit sanguine *septem*
« lapides in medio positos; dumque id facit, numina invocat: hoc
« facto, qui foedus pepigit, commendat suis amicis hospitem illum,
« sive civem si cum cive pepigit, et amici etiam ipsi æquum censent
« colere fidem. »

Jusjurandum et in rebus capitalibus exigebatur. Nam si quis in pago inveniretur occisus, neque certa indicia percussorem proderent, ex eodem pago quinquaginta viri ingenui jurejurando affirmare cogebantur, se non interfecisse hominem neque quis cædis auctor fuerit, scire. Tum pagi incolis tempus constituebatur intra cuius spatium cædis piaculum solverent.³

Ceterum Arabes fidem ut qui maxime colebant, eosque vel nullo obstrictos juramento promissis stetisse multa atque præclara produnt exempla.

De Tonsura capitis.

Antiquus erat Arabibus mos in deorum honorem sinciput attondendi: quam ob rem in V.T. *K'zuzè-Peah*, *circumtonsi capitis angulo* nonnunquam laudantur. Hunc ritum respicit etiam HERODOTUS, qui simul cujusnam speciei fuerit tonsura memoriae prodidit. Narrat enim (lib. 3, 8), Arabes solere capillos *circum tempora in orbem*

¹ HEROD., 3, 8 (utor versione SCHWEIGH.).

² Cf. KÆSTER, *Erlæut. d. h. Schr.*, p. 154, sqq.

³ Faik ap. MILL, *Dissert.*, p. 23; cf. Deuteron. 21, 1-9. — Piaculum haud dubie victima erat communibus impensis parata, et ad cædis pœnas a pago averruncandas immolata: quamquam enim incolæ sanguinis effusi erant insontes, tamen homicidium erat expiandum. Interfectorem verò, si notus esset, *sanguinis ultor* (*Thâjir*) quoquo versus persequeretur, nec nisi ei mortem intulisset ab illo decedebat. Nonnunquam *lytrum* exigebatur quo scelus expiaretur: *Abu-Sâra* primus cæsi lytrum centum camelos constituisse dicitur. Mon. ant. p. 52.

radere, hunc in modum perhibentes deum *Ourotal* fuisse tonsum. Græcus Scholiastes in Leviticum auctor est ad suam usque ætatem Arabes hunc morem servasse et sincipitis comam Saturno¹ consecrassent. Procul dubio eadem est consuetudo, quam *Amru-ben-Lohheji* simul cum cultu *Menât* instituisse dicitur²: hic enim jussit omnes peregrinationem sacram instituentes in deæ honorem capitis comam radere. Hic ritus apud omnes Arabiæ incolas obtinuisse videtur: de Ammonitis, Moabitis, Edomitis, Dedanitis, Themaitis et Busitis constat³, quominus de aliis idem statuamus quid obstat non videmus.⁴

De Circumcisione.

Circumcisionis ritus, qui principio *religionis* causa institutus, postea in meram desiit *consuetudinem*, a Phœnicibus et Syris, qui ipsi ab *Ægyptiis* acceptum profitebantur⁵, ad Arabes transiisse videtur. Verumtamen neque ab omnibus receptus, et a plurimis qui receperant postea derelictus est. Ammonitis, Moabitis, Edomitis atque Arabibus Scenitis procul dubio in usu fuit⁶; at plurimi postmodum aut pro tempore aut omnino ritum omiserunt, vel ab initio spreto neglexerunt. Hyrcanus enim, subjectis omnibus Idumæis, edixit ut *circumciderentur*, nisi mallent e suis ejici sedibus⁷. In

¹ BOCHART, Geogr. sacra, p. 379; quisnam deus hoc nomine designatus sit, nescio. — ² Schehâbeddin, l. c. — ³ Jerem. 9, 25; 25, 23.

⁴ Judæis lege vetitum fuit hanc tonsuram sibi facere (Levit., 19, 27); scilicet ne superstitiosum imitantes Arabum ritum, in eorum idololatriam inciderent. Quod lex autem subjungit « non rades angulum barbæ » alium fortasse morem Arabum superstitiosum respicit; iidem enim extremis mystacis pilos truncare solebant. In Sunna legitur: « decorum est . . . unguis resecare, extremitatem mystacis attondere.

⁵ HEROD., 2, 104.

⁶ Jerem. 9, 26: « Visitabo omnem circumcisum in præputio, Ægyptum et Jehudam et Edomum et Ammonitas et Moabitas et omnes abscissos anguli, habitantes in deserto; nam omnes gentes præputiatæ (corde) et domus Israel præputiata corde. » — ⁷ JOSEPHUS, ed. Genev., p. 450.

Jemana ritum Judæi, magno numero ibi degentes¹, suo exemplo commendasse videntur; diem saltem circumcisioni *octavum* a natali deligere Jemanenses haud dubie a Judæis didicerunt. Josepho teste, Arabes circumcisionem decimo tertio ætatis anno peragebant, quod *Ismael* ea vitæ ætate circumcisis esset. Secundum Al-Dschazarium vero, id facere solebant decimum inter et decimum quintum ætatis annum. Moris erat diem circumcisionis festo² celebrare convivio.³

De Divinatione.

Divinationis superstitio Arabibus cum omnibus gentibus erat communis. Namque futurorum cognitionem vel divinitus animis infundi, vel suoapte homines ingenio e rerum natura observando haurire posse, arbitrabantur. Hinc duo divinationum genera, alterum afflatu divino ortum, alterum arte hominis nixum, pari fere honore habebant. Ad prius illud genus pertinent oracula, vaticinationes, somnia, de quibus jam priore loco nobis dicendum.

Oracula in Arabia non plane ignota fuisse videntur; in templo enim Ghattfanitarum in deæ Al-Ozza honorem exstructo, procul dubio sortes edebantur. Dea ut supra diximus arbori cuidam inesse credebatur, cui *Dthalem* princeps domum Al-Ca'abæ similem et *Boss*

¹ PHILOST., Hist. eccles., p. 25. — ² RASMUSSEN, l. c. p. 127.

³ Quod ad ritus originem attinet, verosimile est *exsecutionem* circumcisioni ortum dedisse; cf. HITZIG, *Comment. z. Jes.*, p. 16. Homines, ut multa alia, sic vel virilitatem diis devovebant, cujus in locum postea præputium cessit. Sacerdotes ægyptii hoc ritu diis sacrabantur, qui propterea, nisi mysterio initiatis, non concedi debebat. Ab iis Israelitæ circumcisionem haud dubie acceperunt; Fod. or., 1, p. 65. Ex Ægypto ad vicinas etiam transiit gentes, quæ aliæ alias ei tribuebant virtutes. Apud plurimas vero mera erat consuetudo absque ulla religione peracta. Apud Arabes antiquos mos obtinuit et hodieque obtinet nonnunquam mulieres exsecandi (cf. STRABO, p. 530), et puellas circumcidendi; cf. Ann. Mosl., p. 28; Fod. or., 1, p. 65. Verum hoc non religionis causa, ut quidem æstimant, sed longe alio respectu esse factum, non est quod moneam.

dictam tali modo superstruxerat, ut ingrediendibus ex intimo penetrati audiretur sonus, quem fortasse fœmina sacerdos prope arborem latens in speciem oraculi edebat. Hoc templo a principe Meccanorum Zohair destructo, alia domus minor arbori superstructa est, quam postea Mohammedes cum arbore everti jussit.¹

Aliud templum editis oraculis insigne reperiatur in littore Sachalitico Koseuden inter et Abissam, quod a Ptolemæo *oraculum* vocatur *Artemidos*, quo nomine, ni fallor, dea *Az-Zohara* indigitatur². Plura fortasse in Arabia felici erant delubra quæ consulendi causa populus adibat; multi enim illi in hac regione sacerdotes, imperii et lucri causa sortes instituendas haud neglexisse videntur. Jam etiam memoratur a STRABONE oraculi effatum quo regibus Sabaitarum vetitum fuit ex regia in publicum prodire³. Quod ad templum et *oraculum Apollinis Tauropoli*, in sinus persici insula *Icario*⁴, Arabes id frequentasse vix crediderim; procul dubio Græcorum ibidem mercaturæ operam dantium delubrum erat sanctissimum.⁵

Aliud futura prævidendi genus somnia habebantur divinitus immissa. Sic, ut alia prætereamus, Amru, filius Ameri, Tharifæ uxoris et suo ipsius somnio de aggeris Marebensis ruptura præmonitus fuisse dicitur. Arabes autem, quod de pluribus nationibus traditur, in fanis somniandi causa cubuisse, cum nullum nobis co-

¹ Khaled, quem miserat Mohammedes, duos arboris ramos facile decidit; cum tertium aggredi pararet, fœmina furens *Æthiopissæ* similis adstitit, deæ fortasse sacerdos, quam conatui suo resistentem Khaled interfecit. Schehâbeddin, l. c.

² Cf. HYDE, De rel. Pers., p. 98. — Fortasse Persæ, qui hanc regionem nunquam in ditione habebant, hoc templum exstruxerunt in honorem *Anâhid*, quæ eadem est quam *Az-Zohara* Arabum atque *Artemis* Græcorum.

³ STRABO, p. 535. — ⁴ Ibid., p. 527.

⁵ Ni omnia me fallunt, græci mercatores ex insula *Icaria*, Samo adjecta, huc devenerunt, et insulam *Icarium* nomine patrio vocantes, ibidem templum Apollini Tauropoli exstruxerunt, quod Tauropolium Dianæ in Icaria patria referret. Cf. STRAB., p. 439.

gnitum sit exemplum, affirmare non ausimus. Ceterum magna iis erat sagacitas in somniis obscurioribus interpretandis; hoc enim in scientiis erat, quibus maxime operam dabant.¹

Jam etiam Vates (*Cohhân*) interdum exstiterunt, qui in rebus difficilibus publice aut privatim arcessebantur, ut quid potissimum faciendum esset enuntiarent, aut futura prædicerent.²

Ad ea divinationis genera nunc transeamus, quæ partim observatione diuturna, partim conjectura nitebantur, quorum præcipua tantum hic nobis sunt recensenda. Primum occurrit *astrologia*, in quam Arabes, astra colentes et sidera accuratius observantes, facilius delapsi sunt; verum eorum ars simplex erat, nec tam absurdis inquinata somniis, qualia in astrologia Chaldæorum et Ssâbiorum deprehendimus.

Cum multum etiam avium significationibus obtemperandum esse putarent, illarum volatum et cantum diligentissime notabant³. Aves volatu dextram petentes, felicitis augurii, sinistro vero lateri obversæ, mali habebantur. Noctuam adspexisse, vel corvum, vel cornicem⁴, vel avem viridem *Ssorad* dictam, obviam habuisse, semper infausti ominis rem judicabant. Ceterum augurandi arte Arabes adeo excelsisse dicebantur, ut ipsum Pythagoram, iis divinationis ex volatu et garritu avium addiscendæ magistris usum, perhibuerit antiquitas.⁵

Aruspicina, quæ apud vicinas gentes viguisse videtur⁶, an in Arabia quoque cognita fuerit, non constat. Arabes eam primos excogitasse, Theodoreto⁷ auctori vix crediderim; eos vero, cum multas mactare solerent victimas, exta etiam inspexisse admodum probabile est.

Divinationis ex conjectura factæ multa erant genera, quæ omnia, quamquam mero nitebantur usu, populus non sine numine exer-

¹ ABULF., Hist. anteisl., p. 180. — ² Inter eos exempli gratia vatem *Saltihh* nominasse sufficiat. — ³ CICERO, De divinatione, 1, 41, 42.

⁴ SACY, Chrestom. arab., 3, p. 53. — ⁵ BRUCKER, Hist. philos., 1, p. 214.

⁶ Ezech. 21, 26. — ⁷ BRUCKER, l. c., p. 218.

ceri, sibi persuaserat. *Al-Firása*, quæ est ars per externa corporis de intimis animi adfectionibus et cogitationibus judicandi, multis in rebus utebantur: eadem arte patres etiam divinabantur ex vultu infantium¹. Pari fere modo morbos e sanguine in arteriis micante atque e membris palpitantibus conjecturando dignoscere studebant. *Hydrognomonía*, sive ars fontes sub terra latentes reperiendi, in Arabia aquæ penuria laborante perutilis erat. Alia conjecturæ species erat vaticinatio *ex thure*, quam in Arabia usu venisse tradit Porphyrius²: neque incogniti fuisse videntur varii modi divinationis per *cyathum*³. *Ar-Ramal* sortilegii erat species per puncta, vel lineas in pulvere aut arena ductas. Ejusdem generis erat *Ilm-al-Actáf*, sive divinatio per scapulam ovis, punctis descriptam⁴. *Calculorum* sortes⁵ sæpe in dubiis jacere solebant Arabes: usitatissimum vero apud eos fuisse videtur sortilegium per *sagittas*, pinnis et cuspide carentes (*Istiksám bi'l-Azlám*); quæ plerumque *septem*⁶ erant numero, variis discretæ notis, rem vel permittentibus vel prohibentibus. Si publice consuleretur, sacerdos sive templi ostiarius, sin privatim, paterfamilias aut cujus demum intererat, sagittas sacculo inclusas concutiens, et diis invocatis, unam temere emittebat, qua quærenti responsum est datum.⁷

¹ Al-Bokhâri, traditio de quatuor speciebus matrimonii. — ² BRÜCKER, l. c., p. 215. — ³ Cf. Genes. 44, 45; REISKE, de Arab. epoch. vetust., p. 16. — ⁴ HERBELOT, Bibl. or., s. v. *Actaf*. — ⁵ Calila et Dimna, ed. SACY, p. 127.

⁶ Sententiam scitule dictam, quam *Platoni* tribuunt, circumferunt Arabes: « Terra est discus, homo scopus, orbis cælestes sunt arcus, sidera *sagittæ*, jaculator vero Deus. » — Ex his verbis conjicere licet sortilegium per sagittas ex astrologia esse natum; sicut enim sidera res hominum regere credebantur, sic sagittis divinatoriis siderum imaginibus idem fieri existimabatur. Simul ex sententia intelligimus quam ob causam numerus septenarius in omni Oriente sanctus habitus sit, scilicet a septem cæli sideribus, ab omnibus fere gentibus initio deorum loco cultis. Cf. Fod. or., 1, p. 3.

⁷ Cf. REISKE, *Sprüche v. d. Stäben*, p. 21; Van Dale, *De orig. idolol.*, p. 454 sqq.



De rebus post mortem futuris.

Doctrinam de rebus post mortem futuris excultiore, vel quæ omnibus probata fuerit, apud Arabes frustra quæsiveris; ut erant ab omni philosophia satis alieni, quæ natura ab oculis removerat, haud altius scrutari studebant. Alii de vita futura aut omnino nihil cogitabant, aut vana commenta sequebantur: alii melius edocti Judæorum aut Christianorum amplectebantur dogmata. Nunnullæ tribus in Jemana nil post mortem futurum expectasse videntur; mortuorum enim corpora haud majoris æstimasse quam stercus STRABO (p. 539) est auctor, proptereaque et reges in sterquiliniis defodisse. Plerique huic vitæ alteram omnino similem putabant, eamque ob causam camelum absque cibo et potu, retorto capite, in tumulo defuncti alligabant, cui mortuo et redivivo, herus ut in hac vita solitus fuerat inequitare posset.

Erant qui mortuos in *bubones* conversum iri putaverint¹; cujus opinionis causa et origo obscurior est, nisi satius existimaveris, cum alia superstitione circa mortuos obtinente, illam conferre. Namque multi persuasum habebant, manes defunctorum nonnunquam vocem stridulam et exiguam e tumulo proferre, atque hanc vocem tum præcipue exaudiri, cum quis inultus occisus fuerit. Gemitum hunc vocabant *Ssada*², quo nomine et *bubo* indigitatur. Quam vocem nonnulli manes emittere credebant, eam alii buboni ex capite mortui orto (ut ferebant), et cædis ultionem petenti, tribuebant: postea animas vita defunctorum in noctuas prorsus converti, gliscente paulatim errore crediderunt. Remunerationem futuram nullam statuuisse videntur; utrum aliquid de infernis senserint, nec ne non magis constat; ceterum et in hoc fortasse Judæorum dogmata sequuti sunt. Omnia denique sunt incerta et dubia, ut solent esse apud populum, cujus religio, non ab uno profecta conditore, nil horum vel statuerit, vel sanxerit.

¹ HARIRI, p. 448. — ² SCHULTENS, in *Erp. Gramm.*, p. 558.

FINIS.



... doctrinam de rebus post mortem futuris exactionem, vel de
 omnibus probata fuerit, apud Aboos fuisse pariter; ut erat ab
 omni philosophia satis aliena, que animo ab oculis removeret, hanc
 animi sermone sublebat. Alii de vita futura aut omnino nihil cogi-
 tabant, aut vana commenta sequebantur: aut in hunc modum Iuda-
 rum aut Christianorum imperceptibilem dogmata. Nonnulli tamen
 in Iudaeis in post mortem futuram expectasse videntur; mortuorum
 enim corpora hanc maiora eximiasse patra sic uti dicitur (p. 339)
 est auctor, propterque et reges in sterpitudine delectare. Tunc
 hinc vix aeternam cinerem sumentem putabant, campis ob eorum
 comitum absque cibo et potu, rectoris capite, in funulo delectati
 obliuiscunt, cum mortuo et redivo, hanc in hac vita solitas fuerit
 incognitare possent.
 Erant qui mortuos in huiusmodi conversum in palaverunt; eorum
 opinionibus causa et origo obscurior est, nisi satis examinaverit, cum
 sua superstitione circa mortuos opinante, illam coarctare. Nihilque
 nulli potius habebant, namque delectationem nonnullam
 vocem stultitiam et exigiam e funulo proferre, sicut hanc vocem
 tum proterque exaudiri, cum quis in hunc occurrit. Geminum
 hunc vocabant Iudas, quo romine et Aboos indigitant. Quam vocem
 nonnulli naves emittere credebant, cum illi huius ex capite
 mortui orto (ut credebant), et eandem aliam petant, tribuebant;
 postea amicos via delectationem in noctes praeuam converti,
 giscentis parabolam errore credebant. Remperceptionem Iudaeis
 nullam statuisse videntur; nam aliquid de inferis senserunt, nec
 ne non magna constat; eorum et in hoc fortasse Iudaeorum dog-
 mata sequuti sunt. Omnia denique sunt incerta et dubia, ut solent
 esse quid populorum, cuius religio non ab uno prole cta conditore,
 illi hanc vel statuerit, vel sanxerit.

1 Hanc, p. 338. — 2 Scruent, in Ep. Germ. p. 338.

FINIS







D Hb 580

ULB Halle
001 173 200

3/1



